



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Quiricus triennis puer 16. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

& capite confracto miseram animam exhalavit.

MARTYRIUM S. QUIRICI TRIENNIS
pueri 16. Iunij. Surius Tom. 3.

BEata Iulitta, Diocletiano Imperatore persecutionem moliente, vnà cum sanctissimo puero Quirico Tarfi cōprehensa, Alexandro homini improbo & crudeli sistebatur, Quæ cum seipsam magna voce Christianam esse testata fuisset, venerandum suum filium qua erat pietate, proprijs manibus tradidit ad holocaustum. Quamobrem atrocissimus ille Iudex, qui cum Deo bellum gerebat, iubet infantem auferri ab eius vlnis, ipsam autem nudam neruis bubulis flagellari. Atq; mater quidem, lictoribus in ea cædenda laborantibus immaniter lacerabatur supplicijs: indignabatur vero, vt est consentaneum, & vociferabatur, & ægrè ferebat filius. Quem quidem Tyrannus, cum mira puerilis formæ venustate caperetur vi auellit ab vlnis maternis: eumq; suis imponens genibus, & sensim palmis caput eius demulcens, sed etiam impuris labris castissimum impurissimus exosculari aggrediens, blandimentis suis incantare satagebat. Attende, dicens, fili mi suauissime, fili formosissime, attende mihi tuo patri. Audi o scite & chare fili & intellige: hanc autem veneficam & impiam, vt quæ violenta sit morte peritura, & dijs inimica, expellens, nobiscum
 sua

suauissimè & iucundissimè viues. Ego autem
te adoptans in filium, omnibus bonis benignis-
sime prosequar, & omnium mearum pos-
sessionum te relinquam hæredem. Quid vero
Quiricus? num cessit tyranni violentiæ, aut
puerili timore exhorruit, aut osculis & pro-
missis est delinitus, aut maternorum suppli-
ciorum metu resolutus dirigit? Nequaquam.
Sed cum vteretur perfecta fide atq; prudentia,
manibus pedibusq; resistens & renitens mira-
biliter luctabatur, & pro viribus repugnans,
inimici auersabatur oscula: ad matrem autem
toto animi studio contendebat & proflicibat.
Tandemq; velut auicula laqueo irretita om-
nibus modis è manibus tyranni euadere ma-
chinans, manibus quidem eius vultum lania-
bat, pedibus autem execrando lateri insultans
athleta breuissimus, amorem illum demonia-
cum in ferociam conuertit. Nam cum delica-
tum pueri pedem apprehendisset vir ad cæ-
dem propensissimus, eum sublimè elatum, ex
alto tribunali manu sua iaciens in subiectos
gradus lapideos, vnà cum sacro capite totum
quoque athletæ corpusculum aduersis petra-
rum acuminibus contriuit. Sic corporis con-
fracta compage, victrix anima ad pal-
mas martyrij euolauit.